An. et vol. XXXIV 24 Februarii 1942 (Ser. II, v. IX) – Num. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 25 – Litterae Apostolicae, p. 29 – Epistulae, p. 34.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decretum. Proscriptio librorum, p. 37 – *S. C. Consistorialis*: I. Decretum de finium dioeceslum immutatione, p. 37 – II. Provisio Ecclesiarum, p. 38 – *S. C. Rituum*: I, II, III, IV. Decreta in causis Servorum Dei, p. 39.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: I, II. Citationes edictales, p. 48.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio ad codicis canones authentice interpretandos*: Responsa ad dubia, p. 50.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 51-56.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIV, n. 2 - 24 Februarii 1942

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Caebuana* (Tagbilarana). - Ab archidioecesi Nominis Iesu, seu Caebuana, territorii pars distrahitur, ex qua nova erigitur dioecesis « Tagbilarana » nuncupanda, eidem archidioecesi Caebuanae suffraganea. - *8 Novembris 1941* 25

II. *Satmarien. et Magnovaradinen. Latinorum et Aliarum.* - Satmariensis et Magnovaradinensis Latinorum dioeceses, hucusque aeque principaliter unitae, seiunguntur; aliaque ad ecclesiasticam circumscriptionem in regione illa spectantia decernuntur. - *28 Iunii 1941* 28

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Romanis Pontificibus.* - Templum-Sanctuarium Sacratissimo Cordi Iesu in civitate Zagrabiensi dicatum privilegiis ac dignitate Basilicae Minoris ornatur. - *31 Iulii 1941* 29

II. *Reipublicae Argentinae.* - Titulus et privilegia Basilicae Minoris tribuuntur templo sub titulo Nostrae Dominae a Sacratissimo Rosario, in civitate Tucumanensi fratribus ex Ordine Praedicatorum concredito. - *15 Augusti 1941* 31

III. *Bononiensi in urbe.* - Basilicae Minoris honoribus decoratur templum in honorem S. Martini Ep. Deo dicatum seu sanctuarium Deiparae a Monte Carmelo, in urbe Bononiensi Ordini Fratrum Carmelitarum concreditum. - *28 Augusti 1941* 32

EPISTULAE

I. *Magnopere gratulamur tibi.* - Ad Emum P. D. Dominicum diaconum Sancti Apollinaris S. R. E. Cardinalem Jorio, S. Congregationis de disciplina Sacramentorum Praefectum, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter explentem. - *2 Septembris 1941* 34

II. *Peculiari animi.* - Ad Revmum D. Fidelem de Stotzingen, Abbatem Primatem Ordinis Sancti Benedicti, dena lustra ab emissis votis religiosis peracturum. - *19 Ianuarii 1942* . . . 35

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. Proscriptio librorum. - *6 Februarii 1942* 37

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

I. *Feretranae et Biturgensis.* - Decretum. De finium dioecesium immutatione. - *3 Ianuarii 1942* 37

II. Provisio Ecclesiarum 38

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Andegaven.* - Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, fundatricis Congregationis S. Annae a Providentia. - *16 Novembris 1941* 39

II. *Portugallen.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servae Dei Mariae a Divino Corde, in saeculo Mariae Droste zu Vischering, Congregationis Sororum Nostrae Dominae a Caritate Boni Pastoris. - *28 Novembris 1941* 41

III. *Lucionen.* - Decretum de miraculis pro canonizatione B. Ludovici M. Grignion a Montfort Conf., Fundatoris Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Puellarum Sapientiae. - *11 Ianuarii 1942* 44

IV. *Andegaven.* - Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. Servae Dei Ioannae Delanoue, fundatricis Congregationis S. Annae a Providentia. - *11 Ianuarii 1942* 46

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. Heliopolitana. - Nullitatis matrimonii (Iskasdar Al Alam-Samaan Rahi). - *29 Ianuarii 1942* 48

II. Vicariatus Apostolicus Aegypti. - Nullitatis matrimonii (Giuliano-Giuliano). - *20 Februarii 1942* 49

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. - *31 Ianuarii 1942* 50

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 51

II. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 52

III. Necrologio 56

An. et vol. XXXIV 24 Februarii 1942 (Ser. II, v. IX) - Num. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CAEBUANA
(TAGBILARANA)

AB ARCHIDIOECESI NOMINIS IESU, SEU CAEBUANA, TERRITORII PARS DISTRAHITUR, EX QUA NOVA ERIGITUR DIOECESIS « TAGBILARANA » NUNCUPANDA, EIDEM ARCHIDIOECESI CAEBUANAE SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In sublimi Petri Cathedra, licet immerentes, collocati, sollerti diligentique studio praestare debemus quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti prospere ac feliciter eveniant. Quod quidem considerantes, Nos dioeceses illas, quae, vel ob nimiam amplitudinem, vel ob auctum fidelium numerum, vel ob alias iustas causas ab uno vel diligentissimo Pastore salubriter regi nequeant, in partes dividere opportunum ducimus et novas exinde dioeceses constituere, aliis concredendas Pastoribus. Cum itaque venerabilis Frater Gabriel Reyes, Archiepiscopus Metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu, seu Caebuanae, ab hac Apostolica Sede expostulaverit ut ad maiorem christifidelium utilitatem, ex latissimo suae archidioecesis territorio quaedam separetur pars atque exinde nova erigatur dioecesis, Nos, habito venerabilis Fratris Gulielmi Piani, Archiepiscopi titularis Nicosiensis, Delegati Apostolici in Insulis Philippinis, favorabili voto, rebus mature perpensis, oblatis precibus annuendum censuimus. Quare, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia

ac de apostolicae potestatis plenitudine, ab archidioecesi Nominis Iesu territorium distrahimus provinciae civilis *Bohol* appellatae, quae in praesenti comprehendit magnam eiusdem nominis insulam et adiacentes insulas *Panglao, Lapinin, Jau, Mahanay, Handayan, Pangangan* et *Cabilao,* atque ex ita avulso territorio novam erigimus dioecesim, quae a *Tagbilaran* urbe « Tagbilaranam » nuncupari volumus ac decernimus. Huius dioecesis episcopalem sedem in *Tagbilaran* urbe, statuimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium extollimus eique omnia tribuimus iura et privilegia, quibus ceterae episcopales civitates pollent. Episcopi vero Cathedram in ecclesia Deo, in honorem S. Ioseph, universalis Ecclesiae Patroni, dicata, in urbe illa exstante, figimus, illamque propterea ad cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eique et Tagbilaranis pro tempore Episcopis omnia item concedimus iura, privilegia, honores, insignia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Novam hanc Tagbilaranam dioecesim suffraganeam constituimus Metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu, seu Caebuanae, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico illius Archiepiscopi iuri subiicimus. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in hac nova dioecesi canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim, pro canonicis, dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad Seminarii dioecesani institutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones ad rem praescribunt. Quod ad clerum praecipue spectat decernimus ut statim ac hae Litterae Nostrae de dioecesis erectione ad exsecutionem mandatae fuerint, eo ipso clerici eidem dioecesi adscripti censeantur, qui in eius territorio legitime degunt. Episcopalem autem mensam in praesenti constituent Curiae episcopalis emolumenta et oblationes, quae a fidelibus in quorum bonum dioecesis erecta est praeberi solent; sed actuoso futuri Episcopi studio et industriae committitur ut, quam citius fas erit, congrua dos constituatur. Volumus denique ut omnia documenta et acta, novam hanc dioecesim eiusque clericos ac fideles respicientia, a cancellaria archidioecesis Nominis Iesu quam primum fieri poterit episcopali Curiae Tagbilaranae tradantur, ut in eius archivo diligenter adserventur. Ad omnia vero ita disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis deligimus, eique pro-

pterea tribuimus necessarias ad id et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eique onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die octava Novembris mensis, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXV, n. 61. – Al. Trussardi.

II

SATMARIEN. ET MAGNOVARADINEN. LATINORUM ET ALIARUM

SATMARIENSIS ET MAGNOVARADINENSIS LATINORUM DIOECESES, HUCUSQUE AEQUE PRINCIPALITER UNITAE, SEIUNGUNTUR; ALIAQUE AD ECCLESIASTICAM CIRCUMSCRIPTIONEM IN REGIONE ILLA SPECTANTIA DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dioecesium circumscriptionum immutatio, si rerum temporumque adiuncta id exigant, et pastorali ministerio facilius exercendo et spirituali christifidelium regimini haud dubie maxime confert. Quod quidem animo perpendentibus opportunum Nobis visum est Satmariensem et Magnovaradinensem Latinorum dioeceses, Apostolicis sub plumbo Litteris *Solemni Conventione* die quinta Iunii mensis, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo a cl. me. Pio Papa Undecimo, Praedecessore Nostro, aeque principaliter unitas, in pristinum restituere. Quare, rebus mature perpensis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine quae sequuntur statuimus ac decernimus. 1. Quas supra diximus dioeceses Satmariensem et Magnovaradinensem Latinorum, hucusque aeque principaliter unitas, seiungimus et separamus, cessante proinde quolibet inter eas unionis vinculo. 2. Administrationem autem Apostolicam Satmariensem et Administrationem Apostolicam Debrecensem, in Hungaria exstantes, prorsus supprimimus earumque territorium suo proprio Ordinario subiicimus. 3. Paroecias vero Magnovaradinensis Latinorum dioecesis, intra Romaniae fines exsistentes, sub Administratione Apostolica ad nutum Sanctae Sedis constituimus. 4. Decernimus demum ut memoratas dioeceses atque paroeciarum territorium, de quibus supra, administrare pergat, uti Administrator Apostolicus, venerabilis Frater Aaron Marton, Episcopus Albae Juliensis, donec aliter a S. Sede provideatur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem Angelum Rotta, Archiepiscopum titularem Thebanum in Graecia, Nuntium Apostolicum in Hungaria, deligimus, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus imponimus ad S. Con-

gregationem Consistorialem authenticum actus peractae exsecutionis exemplar quam primum transmittendi. Quae autem hisce Litteris a Nobis apostolica auctoritate statuta sunt, valida esse et fore volumus atque decernimus, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam seiunctionis, suppressionis, constitutionis, commissionis, delegationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die octava et vicesima Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Apost., vol. LXV, n. 18. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TEMPLUM-SANCTUARIUM SACRATISSIMO CORDI IESU IN CIVITATE ZAGRABIENSI DICATUM PRIVILEGIIS AC DIGNITATE BASILICAE MINORIS ORNATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanis Pontificibus nil unquam magis cordi fuit quam ecclesiarum decori, data opportunitate, providere; quod idcirco et Nos, Decessorum Nostrorum exemplis permoti, iam ab inito Pontificatu Nostro, iugiter explere satagimus, si praesertim peculiari voluntatis Nostrae testimonio erga aliquam ecclesiam spiri-

tuali quoque christifidelium bono prospiciamus. Quapropter, cum, ut templum-sanctuarium Sacratissimo Cordi Iesu in Zagrabiensi civitate dicatum titulo privilegiisque Basilicae Minoris cohonestare velimus, enixis postulationibus a Provinciali Societatis Iesu Praeposito rogati simus, easque postulationes suffragiis suis tum Venerabilis Frater Zagrabiensium Archiepiscopus tum Procurator Generalis memoratae Iesu Societatis cumulent atque ornent, Nos libenter vota suffragiaque eadem excipienda censemus. Edocemur enim non modo ex urbe atque archidioecesi Zagrabiensi ipsa, sed e dissitis quoque locis ad idem templum, « Croaticum nationale Sanctuarium Cordis Iesu » iure meritoque vocatum, fideles pie devoteque confluere, illudque subsidiis suis generose adiuvare, ita ut ibi decem sacerdotes e praedicta Societate officiis religiosis christicolarumque necessitatibus spiritualibus inservire queant, atque etiam sacri aedificii conservationi ornamentoque satius provideri possit. Sane templum idem, initiis vicesimi saeculi exaedificatum, duabus altis turribus munitum, amplitudine sua conspicuum est nec non artis operibus, praesertim picturis affabre factis, novem insuper altaribus pollet, quorum praecipuum videtur illud magnificis marmoribus confectum Sacratissimo Cordi Iesu dicatum; divite denique et copiosa supellectili sacra instructum est, qua splendores divini cultus opportune augentur, cum religiosa turmae fidelium aedificatione, qui ad hoc templum conveniunt, in eodemque pias Uniones efformant. Et revera tum Confraternitas a Sacratissimo Corde Iesu, tum « Apostolatus Orationis » tum plures Congregationes Marianae suam in Sanctuario ipso Zagrabiensi sedem habent, permultisque sodalibus feliciter constituuntur, curis impensis procul dubio presbyterorum e Iesu Societate cui Sanctuarium idem concreditum est. Hisce omnibus rite perpensis, cum Nobis arrideat spes prope certa, futurum ut idem templum-sanctuarium, quaesita dignitate per Nos insignitum, magis magisque in die cultus Sacratissimo Cordi Iesu debiti centrum in finibus Croatiae evadat, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, perpetuumque in modum, templum-sanctuarium Sacratissimo Cordi Iesu dicatum, in civitate atque archidioecesi Zagrabiensi positum, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque

ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI m. Iulii, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

II

TITULUS ET PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS TRIBUUNTUR TEMPLO SUB TITULO NOSTRAE DOMINAE A SACRATISSIMO ROSARIO, IN CIVITATE TUCUMANENSI FRATRIBUS EX ORDINE PRAEDICATORUM CONCREDITO.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Reipublicae Argentinae intra fines in civitate Tucumanensi exstat, adiectum conventui Fratrum Praedicatorum, templum sub titulo Nostrae Dominae a Sanctissimo Rosario, quod, anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto expletum est, eodemque anno die XXII m. Septembris etiam consecratum. Aedificium ipsum structura, artis operibus, amplitudine ac pulchritudine sua inter sacras aedes civitatis memoratae eminet. Eodem in templo Imago, a qua ipsum suum assumit nomen, nunc pie servatur Nostrae Dominae a Rosario, vulgo « La Milagrosa » nuncupatae, satis antiqua, quam christifideles ab immemorabili venerantur, impenseque colunt ob multas potissimum gratias, quae ipsi intercessione Deiparae illo titulo invocatae iugiter obtinuerunt hodieque obtinent. Imago eadem tradita quidem fuit, sicut fertur, in custodiam Fratrum ex Ordine Praedicatorum, anno tantum millesimo septingentesimo nonagesimo primo; sed antea servabatur in ecclesia matrice tucumanensi, cum in eandem translata esset post ex ipsa civitate digressum Patrum e Societate Iesu, qui thaumaturgum simulacrum in proprio templo in fidelium venerationem plus quam centum quinquaginta per annos iam produxerant. Ex tempore praefato autem Fratres Praedicatores sacri depositi curam omni studio susceperunt cultumque Beatissimae Virginis a Rosario seu a miraculis provexerunt, ita ut in eorum templo non modo sodalitas a Sanctissimo Rosario floreret ac floreat, sed aliae quoque piae consociationes, confraternitatesque sodalium numerosae ibique constitutae sint, cum magno animorum emo-

lumento cultusque decore, quoniam eorundem etiam sodalitiorum causa populus fidelis illud devote libentissimeque frequentat templum, quod opportune sacrarum functionum splendore, more liturgico Ordinis Sancti Dominici, continenter fulget. Quare cum hodiernus Prior Conventus Sancti Dominici in civitate Tucumanensi suppliciter demisseque a Nobis efflagitaverit ut templum conventus sui titulo privilegiisque Basilicae Minoris honestare velimus, huiusmodi vota, commendationibus tum Venerabilis Fratris Tucumanensium Episcopi, tum Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum aucta, excipienda censemus. Itaque, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum ecclesiam in honorem Nostrae Dominae a Rosario, conventui Sancti Dominici adiectam, intra fines civitatis ac dioecesis Tucumanensis, *Basilicae Minoris* titulo ac dignitate augemus, illique omnia et singula iura ac privilegia tribuimus, quae rite competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec largimur decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV m. Augusti, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

III

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR TEMPLUM IN HONOREM S. MARTINI EP. DEO DICATUM SEU SANCTUARIUM DEIPARAE A MONTE CARMELO, IN URBE BONONIENSI ORDINI FRATRUM CARMELITARUM CONCREDITUM.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Bononiensi in urbe templum in honorem Sancti Martini Episcopi Deo dicatum exstat, curis ministerioque concreditum Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui in adiecto conventu iam a saeculo quartodecimo residebant, hodieque, post coactam

in elapso saeculo temporalem absentiam suam a loco, feliciter resident. Auctoribus ac foventibus memorati Ordinis fratribus, qui in quadam ecclesiola tituli Sancti Martini iam Sacra variis ab annis agebant, hodiernum templum erectum est decimo quarto ineunte saeculo, artisque operibus artificum bononiensium deinceps ditatum, ita ut inter digniora monumenta sacra urbis bononiensis idem Sancti Martini templum recte nunc habeatur. Cives iugiter ecclesiam ipsam frequentes celebrant, opem praesertim imploraturi Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, cuius simulacrum in eadem sacra aede pie servatur; quodque aureo diademate, Capituli Vaticani decreto iam anno millesimo septingentesimo quarto exornatum, ab hodierno Archiepiscopo Dilecto Filio Nostro Ioanne Baptista Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Nasalli Rocca di Corneglíano iterum anno millesimo nongentesimo trigesimo nono decoratum est. Haec animo repetentes, cum idem Purpuratus Pater amplissime Nobis commendet preces, quas Procurator Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Nobis humiliter enixeque adhibuit ut praefatum templum Sancti Martini, quod est etiam Deiparae a Monte Carmelo Sanctuarium, ad titulum dignitatemque Basilicae Minoris evehere dignemur, Nos, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, optatis huiusmodi concedendum ultro libenterque censemus. Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, bononiense templum in honorem Sancti Martini Deo dicatum, atque Carmelitarum Ordini concreditum, *Basilicae Minoris* titulo cum privilegiis, iuribusque, quae rite competunt, cohonestamus et condecoramus. Haec concedimus, mandamus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII m. Augusti, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. DOMINICUM DIACONUM SANCTI APOLLINARIS S. R. E. CARDINALEM JORIO, S. CONGREGATIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM PRAEFECTUM, QUINQUAGESIMUM AB INITO SACERDOTIO ANNUM FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Magnopere gratulamur tibi, quod mox sacerdotii tui decies quintum ages natalem. Suavem semper et gratam repetens fausti diei memoriam, quo iuventa florens sacris initiatus es muneribus, et cum animo tuo volvens dilapsam inde annorum seriem — grande mortalis aevi spatium — pias grates persolves Deo, qui tibi propitio numine semper affuit et magnis donis emensae vitae semitam sparsit. Quibus de bene acceptis et Nos tecum omnium bonorum Largitori gratiarum reddimus actiones, cum id poscat caritatis ratio, qua firmiter tibi coniungimur, cum id item suadeat Nostra tui aestimatio. De Apostolica enim Sede, cui diutissime deservis, egregie meritus es, ei primo in Sacra Dataria ac dein in Sacro Consilio de disciplina Sacramentorum sedulam et actuosam operam praebens. Quam quidem Pius Pp. XI felicis recordationis decessor Noster digno praemio afficiens, Romanae purpurae decore te insignivit ac eidem memorato Consilio, ubi a secretis eras, probata tua virtute fidens praefecit. Religionis studio, iuris prudentia, rerum usu conspicuus etiam aliis muneribus haud parvi momenti te libenti animo addixisti ac praesertim in Nostra Romana Dioecesi deputatus monasteriorum religiosarum feminarum, consiliorum gravitate et laboris constantia, te providum et utilem praestitisti. Id quoque Nos meminisse iuvat te de re sacramentaria et ascetica excultos scripsisse et vulgasse libros, qui solida lucidaque doctrina commendandi haud caducam tibi laudem pepererunt. Huiusmodi sollertiam aequo honestantes plausu, benignissimum Servatorem nostrum supplici prece rogamus, ut te favore sospitet, tutamine muniat, gratia laetificet. Caelestibus his fultus praesidiis in Dei gloriam animarumque salutem comparandam fac, ut industrius et alacer alia incepta praeconio digna moliaris ac augescentibus virtutibus niteas et uberiore semper promeritorum proventu sis ditior. Haec imo ex corde ominati, superni auxilii auspicem Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, effuso volentique animo impertimus, eandemque iis quoque ex-

tendimus, qui te suscepti sacerdotii quinquagesimam recolentem memoriam iucunda circumsepient corona.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die II mensis Septembris anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

II

AD REVM̃UM D. FIDELEM DE STOTZINGEN, ABBATEM PRIMATEM ORDINIS SANCTI BENEDICTI, DENA LUSTRA AB EMISSIS VOTIS RELIGIOSIS PERACTURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Benedictionem Apostolicam. — Peculiari animi delectatione novimus, te proxime dena lustra esse peracturum, ex quo Dei servitio mancipatus vota religiosa nuncupasti. Eiusmodi enim sacri eventus celebratio iucundam Nobis praebet opportunitatem tibi ex animo gratulandi atque existimationem dilectionemque, qua te semper prosecuti sumus, rursus libenterque patefaciendi. Hoc profecto haud brevi temporis intervallo, ad gloriam Dei amplificandam, ad utilitatem Ecclesiae istiusque Ordinis Sancti Benedicti persequendam omne studium operamque contulisti. In ipso aetatis flore, Abbatiae Lacensis moderator, prudentiae ac sollertiae tuae in bonum religionis provehendum prima ac praeclara specimina exhibuisti. Quum autem Abbas Primas istius Ordinis es electus ac deinde in praenobili munere constanti electorum fiducia confirmatus, magis magisque egregia tua et mentis et animi ornamenta praefulserunt. Inter graves abbatialis regiminis sollicitudines, reformationem Kalendarii Breviariique monastici curasti, plures religiosas familias, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, invisisti, ad novas monachorum Congregationes constituendas adlaborasti atque sollemnibus abbatum coetibus naviter praefuisti. Peculiares vero curae abs te adhibitae sunt, ut Collegium istud internationale Sancti Anselmi ad normas Apostolicae Constitutionis *Deus scientiarum Dominus* salutaria acciperet incrementa. Haec igitur inter cetera merita tua suavi memoria repetentes, tibi, Dilecte Fili, de proxima faustitate vehementer gratulamur atque laetitiam tuam tuorumque Nostra auctoritate et participatione cumulamus. Quo vero sollemnia iubilaria in maiorem cedant animarum utilitatem, tibi ultro potestatem damus, ut, die constituta, post Sacrum sollemniter peractum adstantibus fidelibus nomine Nostro No-

straque auctoritate benedicas, plenariam iisdem indulgentiam proponens, ad praescripta Ecclesiae lucrandam. Conciliatrix interea et praenuntia caelestium donorum Apostolica sit Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, universoque Ordini Sancti Benedicti effusa in Domino caritate impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIX mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV, die 4 Februarii 1942

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros qui inscribuntur:

M.-D. CHENU, *Une école de théologie: Le Saulchoir;*

L. CHARLIER, *Essai sur le problème théologique.*

Et sequenti Feria V, die 5 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII in solita audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori Sancti Officii impertita relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 6 Februarii 1942.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

FERETRANAE ET BITURGENSIS

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM IMMUTATIONE

Ad consulendum bono animarum paroeciae S. Marinae, in pago *Dese* dioecesis Feretranae, expostulatum est ab Apostolica Sede ut praedicta paroecia cum suo territorio a dioecesi Feretrana distraheretur et dioecesi Biturgensi aggregaretur.

Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius Div. prov. Pp. XII, id in commodum animarum cessurum cernens, praesenti Consistoriali Decreto paroeciam S. Marinae in oppido *Dese* cum suo territorio a dioecesi Feretrana seiungit atque dioecesi Biturgensi aggregat, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus.

Ad haec autem exsecutioni mandanda eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Exc. P. D. Pompeium Ghezzi, Episcopum Biturgensem eique tribuit necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum ecclesiasticum in dignitate constitutum, iniunctoque onere quamprimum transmittendi ad hanc S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 3 Ianuarii 1942.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 31 Ianuarii 1942. — Cathedrali Ecclesiae Pelotensi praefecit R. D. Antonium Zattera, parochum paroeciae *Bento Gonçalves,* in dioecesi Caxiensi.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Dercensi Exc. P. D. Ieremiam Kinane, hactenus Episcopum Vaterfordiensem et Lismoriensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Harty, Archiepiscopi Casheliensis.

die 7 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Iericoënsi R. D. Antonium Iosephum Jaramillo Tobón, iam Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ANDEGAVEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI IOANNAE DELANOUE, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS S. ANNAE A PROVIDENTIA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Mt., 16, 24).

Aeternae salutis et sanctitatis viam hisce verbis Dominus Iesus nobis monstravit, extra quam impossibile est caelestem gloriam attingere. Divino huic mandato Venerabilis Ioanna Delanoue perfecte obtemperavit. Etenim vel a tenella aetate, ut Christi vestigia pressius persequeretur, sibi vim inferre coepit, eiusque crucem amplecti in deliciis habuit, cuius amore temporis tractu asperrimis corporis afflictionibus carnem domare sategit.

Horrescit quidem animus in his recolendis, verum per hanc viam Deus voluit, veluti B. Ludovicus Grignion de Monfort recognovit, eam ad sanctitatem adducere.

Ut autem vitae sanctitas alicuius Dei Servi etiam coram Ecclesia patescat, sapienter sancitum est, ut iuridice constet in heroico gradu ipsum exercuisse virtutes, eiusque interventione Deum miracula esse operatum.

Iamvero, servatis de iure servandis, die 7 Iunii mensis anno Domini 1929, Sacra haec Congregatio, Pio Papa XI f. r. approbante, constare de virtutibus tum theologalibus cum cardinalibus earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Ioannae Delanoue decrevit. Hodierna vero die per hoc decretum tria fuisse a Deo, per eiusdem Venerabilis intercessionem, patrata miracula sancitur.

Quum causa haec inter antiquas debeat annumerari — Venerabilis enim defuncta est a. 1736, iuridicae vero inquisitiones solummodo a. 1888 inceptae sunt, quare nullus testis de visu in processibus adduci potuit — quattuor miracula fuissent ab actoribus exhibenda; verum ex Apo-

stolica benignitate a quarto dispensatum est, quia Dei Famula fuit Instituti S. Annae a Providentia fundatrix.

Prima mira sanatio contigit in oppido Saumur in Dioecesi Andegavensi anno 1924. Soror a S. Virginia, e Congregatione S. Annae a Providentia, cancro pharyngeo fuerat affecta, uti quattuor a cura medici in processu deposuerunt; quam diagnosim unanimiter tres periti a Sacra Congregatione adlecti plene confirmarunt. Iidem medici lethalem prognosim edixerunt. Quum nullum remedium tanto huic morbo afferri potuisset, ferventes preces ad sanationem obtinendam per Venerabilis Ioannae intercessionem effusae fuere. Mense Iulio vertente, in instanti infirma Soror perfecte sanata est, uti medentes comprobarunt, qui pariter cum officialibus peritis miraculum a Deo patratum sine ulla haesitatione agnoverunt.

Altera mira sanatio in eadem urbe Saumur contigit. Soror Maria a Praesentatione a laryngis et pulmonum tuberculosi attacta fuerat. In hac edicenda diagnosi mire concordant tum medici a curatione, cum tres officiales periti, qui omnes pariter gravissimam prognosim edendam esse affirmaverunt. Iamvero Soror Maria die 7 Septembris mensis anno 1908 hora decima septima in iisdem versabatur morbidis condicionibus, hora vero 18, libera omnino a morbo facta est. Miraculum ergo una cum medentibus et officialibus peritis est agnoscendum, a Deo patratum ad Venerabilis Ioannae intercessionem, quae unice fuerat invocata.

Tertium quod affertur miraculum in eadem urbe Saumur, in domo tirocinii Congregationis S. Annae a Providentia evenit, atque sanationem respicit Sororis Mariae Elisabeth a tuberculosi sinistri genu, et coxae. In hac definienda diagnosi duo medentes plene concordant, quibus tres ex officio periti concinunt: qui omnes pariter in gravissima edenda prognosi conveniunt. Iamvero, Venerabili Ioanna unice invocata, die 24 Octobris anno 1907 serotinis horis Maria Elisabeth in instanti sanata est in genu et coxa. Sanata dum processus instruebatur, post unum supra triginta annos, adhuc bona fruebatur valetudine.

Hanc pariter sanationem sive medentes sive periti miraculo patrato a Deo firmiter tribuunt.

De hisce tribus miris sanationibus, in Andegavensi Curia apostolica auctoritate constructi sunt processus, quorum iuridica vis quum a Sacra hac Congregatione die 19 Iunii anno 1939 fuerit recognita, Antepraeparatorius, quem vocant, coetus coram subscripto Cardinali S. R. C. Praefecto atque Causae Ponente, die 31 Octobris anno 1939 habitus fuit, quem Praeparatorius die 18 Iunii elapsi anni est subsecutus. Demum die 11 Novembris anni huius, coram Ssmo Pio Papa XII generalis Con-

gregatio coacta fuit, in qua idem Cardinalis Ponens dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Huic dubio Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores, pro sua quisque conscientia, responderunt; Beatissimus vero Pater suum pandere iudicium distulit, ut Sancti Spiritus lumine sua mens illustraretur, implorata per preces Eius gratia.

Supremum autem iudicium hoc edere die 16 Novembris statuit, Dominica vicesima quarta post Pentecosten.

Quapropter subscripto Cardinali, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore Generali meque infrascripto Secretario arcessitis, sacrosancto eucharistico Sacrificio piissime litato, declaravit: *Constare de instantanea perfectaque sanatione Sororum a S. Virginia a cancro pharingeo, Mariae a Praesentatione a tuberculosi laryngis et pulmonum atque Mariae Elisabeth a tuberculosi sinistri genu et coxae.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. Rituum Congregationis referri iussit.

Datum Romae, die 16 Novembris a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

PORTUGALLEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE A DIVINO CORDE, IN SAECULO MARIAE DROSTE ZU VISCHERING, CONGREGATIONIS SORORUM NOSTRAE DOMINAE A CARITATE BONI PASTORIS.

Super dubio

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

« Docet nos Scriptura divina, ait s. Ambrosius, non solum mores in iis, qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudari; ut veluti transmissa immaculatae puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare, praecellat » (*In Luc.*, c. 1). Porro Servae Dei Mariae a Divino Corde vitam perpendentes, tam insignium virtutum, quibus eius parentes nituerunt, summa admiratione necesse est affici. Non enim tantum divina praecepta ad amussim servare atque catholicae Eccle-

siae iura fortiter defendere, sed divinae voluntati in omnibus plene et cum spirituali gaudio acquiescere sanctum eis erat; qui in morte quoque filiorum acerbissimum patrium dolorem heroice compescuerunt. Digni sane qui posterorum memoriae in exemplum tradantur.

Clemens Droste zu Vischering, Comes, et Helena e Comitibus von Galen Dei Famulam genuerunt, quae die 8 Septembris, sub B. M. V. nascentis patrocinio, Monasterii Vestfaliorum anno 1863 simul cum fratre gemino, orta, eodem die est baptizata, impositis nominibus: Maria, Anna, Ioanna, Francisca, Teresia, Antonia, Huberta.

Eluxit statim in puella egregia indoles et ad pietatem proclivis, praecipue vero, piorum parentum opera et exemplo, erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum divinumque Cor; in qua adeo, divina favente gratia, profecit, ut Christo crucifixo similem fieri iam tum vehementer optaret: Esurio dolores, aiebat, sitio dolores, ut cum Christo « in cruce patiens efficiar ». Huic patiendi desiderio benignus Dominus paulatim quidem, sed abunde satisfecit; ipsa autem cum Apostolo, summo animi gaudio dicere poterat: *Christo confixa sum cruci,* et: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo* (*Gal.*, II, 19; VI, 14).

Ad hos animi sensus vel ab infantia instituta a. 1875 ad sacram synaxim primitus accessit, sacramentoque Confirmationis est roborata. Tunc prima religiosae vocationis indicia percepit, quam ipsa diligentissime, fervidum suum ingenium fortiter coercendo, assiduis precibus per tredecim annos iugiter excoluit.

Die 21 Novembris a. 1888, genitoribus plene assentientibus. Monasterii, in Institutum Sororum a Bono Pastore est ingressa. Sequenti anno, die 10 Ianuarii religiosas induit vestes, Mariae a Divino Corde assumpto nomine. Tirocinii biennio laudabiliter transacto, die 29 Ianuarii anno 1891 religiosa vota nuncupavit. Paenitentium mulierum cura ei continuo fuit concredita. Anno 1894 ineunte, paenitentium Magistra Ulyssiponensis domus fuit electa, pauloque post, domus Portugallensis regimen ex obedientia suscepit, quod sanctissime, maximo animarum sibi commissarum emolumento, tenuit, licet infirma semper laborans valetudine. Quin immo, offensas divinae Maiestati illatas reparandi et insimul patiendi cupida, pro mundi peccatis victimam Deo se obtulit; quam Ipse oblationem in odorem suavitatis acceptavit, acerrimis quidem doloribus toto eius corpore excruciato, anima vero autem eius caelestibus charismatibus ditata.

Praeterea, Divino, ut videtur, impulsu permota, Leonem XIII ut totum mundum Sacratissimo Cordi Iesu sacraret est adprecata; quam

consecrationem Pontifex per encyclicam epistulam *Annum sacrum* indixit die festo eiusdem sacri Cordis anno 1899 peragendam. Famula autem Dei pridie huius festi sacramentis refecta, purissimam animam exhalavit.

Sanctitatis fama post eius obitum percrebuit; quare factum est ut in Portugallensi Curia a. 1921-1926 Ordinaria auctoritate processus informativi super scriptis, sanctitatis fama atque cultu nunquam exhibito fuerint constructi; rogatoriales quoque in Episcopalibus Monasteriensi, Andegavensi, Tudensi atque Vratislaviensi Curiis.

Inquisitiones hae Romam delatae fuere, Sacrae huius Congregationis examini subiiciendae.

Die 16 Iulii mensis anni huius, scriptis perpensis, sacra Congregatio decrevit: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi queat.* Interim tres Cardinales, Orientalium Indiarum Patriarcha, qui Servae Dei spiritualis moderator fuerat, Archiepiscopi et Episcopi Germaniae fere omnes, plures alii Episcopi, Generalis Superiorissa Instituti a Bono Pastore, Regiae Celsitudines de Bourbon Parma, Aurelianensis aliaeque, Postulatorias litteras pro Causae introductione Summo Pontifici obtulerunt.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, instante Revmo D. Gerardo Oesterle O. S. B. Causae Postulatore, in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione, die 25 Novembris anni huius habita, Subscriptus Cardinalis, S. R. C. Praefectus et insimul Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit disceptandum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque ex officio retulit. Emi ac Revmi Cardinales, relatione audita, auditis quoque Officialium Praelatorum suffragiis, nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus mature perpensis respondere censuerunt: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.*

Feria autem VI insequenti, die 28, ab eodem Cardinali Praefecto relatione Ssmo D. N. Pio Papae XII facta, Sanctitas Sua, Sacrae Congregationis Rescriptum ratum habens, propria manu *Commissionem Introductionis Causae Servae Dei* Mariae a Divino Corde *signare dignata est.*

Datum Romae, die 28 Novembris a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

LUCIONEN.

CANONIZATIONIS B. LUDOVICI M. GRIGNION A MONTFORT CONF., FUNDATORIS PRESBYTERORUM MISSIONARIORUM SOCIETATIS MARIAE ET PUELLARUM SAPIENTIAE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Sanctorum Patrum traditionem colligens, mellifluus Doctor, insigne Burgundiae totiusque Ecclesiae decus: « Omnia nos Deus habere voluit per Mariam » docet, quam tenerrimam salutaremque sententiam theologi omnes modo concorditer tenent. Tenerrimam diximus et salutarem, quia Maria non solum Christi, sed omnium nostrum quoque Mater est amantissima, quae potentiam a Domino, munifico largitore in bonum hominum sibi concessam, divinas gratias superabundanter effundens, exercet. Magnificus alter tantae Matris praeco, B. Ludovicus Maria Grignion a Montfort, et ipse Galliae filius, decimo septimo et octavo saeculo, extitit, qui pariter multum de Beata Virgine saluberrime docteque disseruit, novamque *Presbyterorum Missionariorum* religiosam familiam condidit, quam *Societatis Mariae* nomine voluit honestare. Alterum quoque Institutum *Filiarum Sapientiae* fundavit.

Eius glorias Ludovicus Maria iugiter extulit, Maria vicissim devotum filium ad sanctitatem adduxit, atque per miracula, eo intercedente, a Deo patrata, non solum Beatificationis honores anno 1888 ei comparavit, sed et ad sollemnem Canonizationem viam sternere videtur.

Duae enim sanationes, post Beatificationem obtentae, Sacrae huius Congregationis examini delatae sunt, quae miraculo sunt tribuendae.

I. Soror Gerarda a Calvario a gravissima tuberculosi ulcero-caseosa pelviperitonaeali cum duabus fistulis sanie manantibus nec non pulmonari bilaterali fuit attacta; qui morbus fere ad mortem eam adduxerat, adeo ut morientium sacramentis fuisset roborata. Medicae artis remediis incassum cedentibus, B. Ludovici Mariae patrocinium fervide fuit imploratum. Die 8 Aprilis a. 1927, medicus, matutinis horis eam invisens, morientem, uti sub iuramento testatur, invenit. Post meridiem vero in instanti ea sanata est; post biduum autem ad pristina, immo

graviora rediit officia, atque in recuperata, meliori quam antea, valetudine perseveravit, uti duo periti physici post triennium a sanatione testantur. Miraculum sine ulla haesitatione non solum tres periti ab hac Sacra Congregatione adlecti agnoscunt, sed etiam apertissimis verbis medicus a curatione, non catholicus, sub iuramenti vinculo fatetur.

II. Soror Maria Teresia a Visitatione, Lesage, cuius diathesis erat indubie tubercularis, non solum quia in familia morbidum hoc germen virebat, sed etiam quia ipsa ab infantia tuberculosi laboraverat, Iunio mense a. 1934 tuberculari meningitide fuit affecta, quae diagnosis a tribus medentibus fuit sine haesitatione edicta, confirmata vero a tribus peritis, quos Sacra haec Congregatio delegit. Qui omnes in edenda certo lethali prognosi concordant. Iamvero cum nulla naturalis sanationis spes affulgeret, ardentes ad Deum preces elatae sunt, ut per B. Ludovici Mariae intercessionem, sanitatem ipse infirmae sorori dignaretur concedere.

Nec spes orantes fefellit. Etenim vespertinis horis diei 24 Iunii, Sancto Domini Praecursori sacri, infirma extemplo magna voce loqui valuit, vividamque et actuosam se ostendit, perfecte vero sanatam intra biduum se sensit. Sanationem perseverasse sequenti anno, Novembri mense, physici periti deponunt. Miraculum intervenisse tum tres a curatione medentes, cum tres ex officio periti edicunt.

Super his miris sanationibus Apostolica auctoritate in episcopalibus Portusmuthensi et Lucionensi Curiis constructi fuere processus, quorum iuridica vis die 1 Februarii a. 1939 a Sacra hac Congregatione fuit recognita.

Servatis itaque de iure servandis, de utraque hac sanatione in triplici iudicii sede disceptatum est: in Antepraeparatorio coetu coram Revmo Cardinali Raphaële Carolo Rossi, Causae Relatore, die 23 Iulii a. 1940; in Praeparatorio coram Revmis Cardinalibus die 1 Iulii a. 1941; demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, die 16 Decembris mensis anni eiusdem, in quo idem Cardinalis Relator dubium proposuit discutiendum: *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur*. Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum edidere suffragium, quo audito, Beatissimus Pater iudicium Suum pandere, distulit, ut, ingeminatis suis adstantiumque precibus, sua mens magis magisque a Deo illustraretur. Divino itaque lumine implorato, Dominica hac, intra Octavam Epiphaniae, S. Familiae Nazarethanae cultui dicata, supremum iudicium suum edere decrevit. Quocirca subscriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum, Revmum Cardinalem

Causae Relatorem, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium advocavit, atque, sacratissimo Eucharistico sacrificio religiose litato, edixit: *Constare de duobus miraculis, a Deo per Beati Ludovici Mariae Grignion a Montfort intercessionem patratis,* videlicet: *de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Gerardae a tuberculosi bilaterali pulmonari et ulcero-caseosa pelvi-peritonaeali, tum Sororis Mariae Teresiae a Visitatione, Lesage, a meningitide tuberculari.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Ianuarii, S. Familiae festo, A. D. 1942.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

IV

ANDEGAVEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI IOANNAE DELANOUE, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS S. ANNAE A PROVIDENTIA.

Super dubio

An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem Venerabilis* Ioannae Delanoue ***Beatificationem.***

« Tuto prosequere arctam paenitentiae viam, quam inivisti; hanc enim Deus sectandam tibi proposuit », Venerabili Ioannae Delanoue post sacrosanctum Missae sacrificium, ut a Domino illustraretur celebratum, Beatus Ludovicus Maria Grignion a Montfort respondit. Ioanna, tanti viri auctoritate suffulta, mirabilem coram Deo, meritisque plenam vitam, quam inceperat, est prosequuta, victu cultuque in primis aspero atque horrido utens, sicque secura ac tuta sanctitatem attigit.

Porro Ioanna Delanoue Salmurii in Gallia die 18 Iunii a. 1666, postrema ex duodecim filiis, nata, ab adolescentia una cum pietate, in peculiarem paenitentiae amorem ferebatur, fervidum naturae ingenium deprimens.

Non sine divino instinctu, initio saeculi decimi octavi *S. Annae a Providentia* Congregationem constituit, cuius regulas, ab ea conscriptas, Episcopus Andegavensis a. 1709 approbavit. Ioanna septem supra

viginti annos Congregationem rexit, virtutum, supra modum heroicarum, exempla relinquens. Meritis onusta die 16 Augusti a. D. 1736 ad caelestem Sponsum evolavit.

Tanto virtutum splendore Ioanna coruscavit, ut tum Ordinaria auctoritate, cum auctoritate Apostolica constructi sint processus ad eius Beatificationem procurandam: felicique exitu. Etenim Leo XIII fel. rec. Introductionis Causae Commissionem die 12 Decembris 1898 obsignavit; Pius XI sa. me. heroicas Servam Dei exercuisse virtutes, die 7 Iunii a. 1929, edixit; tria miracula, eius interventione, a Deo fuisse patrata Ssmus D. N. Pius Pp. XII die 16 Novembris mensis elapso anno recognovit.

Postremum Dubium, quod ad normas sacrorum canonum supererat discutiendum, a subscripto Cardinali, sacrorum Rituum Congregationis Praefecto nec non Causae Ponente seu Relatore, in Generali Congregatione die 16 subsequentis mensis coram Ssmo D. N. Pio Pp. XII fuit propositum, nempe: *An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum,* Tuto *procedi possit ad sollemnem Venerabilis* Ioannae Delanoue *Beatificationem.* Quamvis vero Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimiter in affirmativum responsum concessissent, Beatissimus Pater supremam sententiam edere distulit, ut sibi divini luminis copia suppeteret.

Tandem diem hanc Dominicam primam post Epiphaniam elegit, Sacrae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph sacram, ut suam aperiret mentem.

Quare subscripto Cardinali, S. R. C. Praefecto et Causae Ponente, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque Secretario arcessitis, sancta Hostia religiosissime litata, decrevit: Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis* Ioannae Delanoue *Beatificationem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. Rituum Congregationis referri, nec non Apostolicas Litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 11 Ianuarii anno Domini 1942.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

HELIOPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII (ISKASDAR AL ALAM - SAMAAN RAHI)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Abdallah Iskasdar Al Alam, actoris in causa de qua supra, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria), die 22 Aprilis 1942, hora 10, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti D. Abdallah Iskasdar Al Alam, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Albertus Canestri, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 29 Ianuarii 1942.

T. Tani, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Abdallah Iskasdar Al Alam, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 22 avril 1942, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Abdallah Iskasdar Al Alam devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

VICARIATUS APOSTOLICUS AEGYPTI

NULLITATIS MATRIMONII (GIULIANO - GIULIANO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Humberti Giuliano, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria), die 6 Maii 1942, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Humberti Giuliano, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Henricus Quattrocolo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 20 Februarii 1942.

Ioannes M. Pinna, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Humbert Giuliano, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 6 mai 1942, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Humbert Giuliano devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE VICARIO COOPERATORE QUOAD MATRIMONIA

D. An vicarius cooperator *ratione officii*, de quo in canone 476 § 6, matrimoniis valide assistere possit.

R. Negative.

II - DE IURE FUNERANDI MONIALES

D. Utrum parocho an cappellano, ad normam canonis 1230 § 5, competat ius funerandi moniales ab Ordinarii loci iurisdictione non exemptas iuxta canonem 615.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III - DE TRANSMISSIONE ACTORUM CAUSAE

D. An sub verbis *acta causae*, de quibus in canone 1890, veniant omnia acta iudicialia.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 31 mensis Ianuarii, anno 1942.

M. Card. MASSIMI, *Praeses*.

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius*.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 13 gennaio 1942, presso Sua Eminenza Revma il Signor Cardinale Alessandro Verde, Ponente o Relatore della Causa del Servo di Dio Antonio Chevrier, sacerdote secolare, fondatore della Società dei Sacerdoti del Prado, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù del predetto Servo di Dio.

Martedì, 27 gennaio 1942, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso:

1) sul *Tuto* per la canonizzazione del Beato Ludovico Maria Grignion da Montfort, sacerdote e fondatore della società di Maria e dell'Istituto delle Figlie della Sapienza;

2) sui miracoli proposti per la beatificazione del Venerabile Servo di Dio Contardo Ferrini, professore nella Università di Pavia.

Martedì, 3 febbraio 1942, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione della causa:

1) del Servo di Dio Bernardo Maria di Gesù, della Congregazione dei Passionisti;

2) della Serva di Dio Maria Francesca delle Cinque Piaghe, al secolo Margherita Sinclair, Suora professa coadiutrice delle Monache Clarisse.

Hanno inoltre preso in esame le relazioni dei Revisori teologi sugli scritti del Servo di Dio Francesco Garate, fratello coadiutore della Compagnia di Gesù.

Martedì, 17 febbraio 1942, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto, alla presenza di Sua Eminenza Revma il Signor Cardinale Carlo Salotti, Vescovo di Palestrina e Prefetto della S. Congregazione dei Riti, Ponente della causa di canonizzazione del Beato Michele Garicoïts, Confessore. fondatore della Congregazione dei Sacerdoti del S. Cuore di Gesù di Bétharram, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione dello stesso Beato, e che vengono proposti per la sua canonizzazione.

Martedì, 24 febbraio 1942, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle Virtù del Servo di Dio Innocenzo de Berzo, sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato in data 21 gennaio 1942, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare il Reverendissimo Padre Alfonso Raes, della Compagnia di Gesù, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale* (*Sezione speciale per la Liturgia*).

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

8 dicembre 1941. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Vincenzo La Puma, *Protettore dell'Istituto « Ancelle Riparatrici del Sacro Cuore di Gesù »* (Messina).

5 febbraio 1942. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Camillo Caccia Dominioni, *Protettore delle Povere Figlie di Maria Santissima Incoronata* (Mantova).

Assistenti al Soglio Pontificio:

8 dicembre 1941. S. E. Revma Monsig. Ferdinando Bernardi, Arcivescovo di Taranto.

24 » » S. E. Revma Monsig. Dionigio Casaroli, Arcivescovo di Gaeta.

18 gennaio 1942. S. E. Revma Monsig. Adriano Bernareggi, Vescovo di Bergamo.

9 febbraio » S. E. Revma Monsig. Giovanni Costantini, Vescovo di Luni.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

8 settembre 1941. Monsig. Gabriele Palmer Verger, della diocesi di Plasencia.

12 ottobre » Monsig. Raffaele Forconi, dell'archidiocesi di Cartagine.

25 novembre » Monsig. Michele A. Tarrent, della diocesi di Springfield.

26 » » Monsig. Pietro Rouvelet, dell'archidiocesi di Cartagine.

28 » » Monsig. Sabino Cannone, della diocesi di Andria.

1 dicembre 1941. Monsig. Giovanni Dalla Vecchia, dell'archidiocesi di Corfù, Zante e Cefalonia.
7 » » Monsig. Carlo Barbavara, dell'archidiocesi di Milano.
7 gennaio 1942. Monsig. Giuseppe Equizi, dell'archidiocesi de L'Aquila.

Prelati domestici di Sua Santità:

12 marzo 1941. Monsig. Virgilio Angioni, dell'archidiocesi di Cagliari.
24 novembre » Monsig. Timoteo P. Holland, della diocesi di Ogdensburg.
» » » Monsig. J. Domina Brault, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Edmondo F. Brown, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Ugo J. O'Reilly, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Clarenzio A. Kitts, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco M. Kenny, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni J. Bent, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Michele Hogan, della medesima diocesi.
25 » » Monsig. Davide L. Scully, della diocesi di Springfield.
» » » Monsig. Guglielmo R. Arnold, della diocesi di Fort Wayne.
8 dicembre » Monsig. Giovanni Pindulic, della diocesi di Segna.
29 » » Monsig. Giovanni Bonada, dell'archidiocesi di Torino.
30 » » Monsig. Ilario Alcini, della diocesi di Todi.
3 gennaio 1942. Monsig. Giacinto Bertonelli, della diocesi di Sarzana.
7 » » Monsig. Pietro Marmugi, della diocesi di Volterra.
21 » » Monsig. Antonio Taffi, della diocesi di Acquapendente.
22 » » Monsig. Enrico V. Malone, della diocesi di Des Moines.
» » » Monsig. Romeo Fiorenzuola, della diocesi di Lodi.
5 febbraio » Monsig. Vittore Gerard, della diocesi di Namur.
» » » Monsig. Camillo Aldrighetti, della diocesi di Verona.
7 » » Monsig. Giuseppe Roveda, della diocesi di Tortona.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

24 gennaio 1942. Al sig. avv. comm. Giuseppe Cavazzana, dell'archidiocesi di Milano.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8 dicembre 1941. Al sig. comm. Pietro Panighi, dell'archidiocesi di Milano.
9 gennaio 1942. Al sig. dott. Alberto D'Agostino, della medesima archidiocesi.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 novembre 1941. Il sig. Carlo Luciano McMahon, della diocesi di Oklahoma.
» » » Al sig. Carlo Patrizio Quinlan, della medesima diocesi.
8 dicembre » Al sig. prof. Umberto A. Padovani, dell'archidiocesi di Milano.
11 » » Al sig. Giovanni Massone, dell'archidiocesi di Genova.
15 » » Al sig. dott. Carlo Ancillotto, della diocesi di Treviso.
16 gennaio 1942. Al sig. prof. dott. Antonio Berti, della diocesi di Vicenza.
» » » Al sig. prof. dott. Giorgio Pototschnig, della medesima diocesi.
22 » » Al sig. Giorgio Burges, della diocesi di Dallas.
» » » Al sig. Giovanni Philp, della medesima diocesi.
2 febbraio » Al sig. dott. Michele Severini (Italia).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

14 agosto 1941. Al sig. dott. Vincenzo Melillo, dell'archidiocesi di S. Paolo del Brasile.
3 gennaio 1942. Al sig. Alessandro Serra Zanetti, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Al sig. Antonio Loi, dell'archidiocesi di Genova.
27 » » Al sig. Antonino Porrello, della diocesi di Agrigento.
28 » » Al sig. Leonida Pedica (Roma).

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

3 gennaio 1942. Al sig. comm. Alfredo Castelli, dell'archidiocesi di Milano.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

25 novembre 1941. Al sig. Giovanni Motta, dell'archidiocesi di Milano.
2 dicembre » Al sig. cav. Luigi Casazza (Roma).
» » » Al sig. Guido Zappa (Roma).
10 » » Al sig. ing. Pietro Scandellari (Roma).
» » » Al sig. ing. Carlo Lorella, della diocesi di Novara.
» » » Al sig. Enrico Cane, della medesima diocesi.
11 » » Al sig. rag. Giovanni Sartori, dell'archidiocesi di Torino.
15 » » Al sig. Luigi Silva, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Giovanni Battista Vismara, della medesima archidiocesi.
17 » » Al sig. Angelo Comi, dell'archidiocesi di Otranto.
» » » Al sig. Andrea Gardini, della diocesi di Ivrea.

19 dicembre 1941. Al sig. ing. Mario Fossati (Italia).
23 » » Al sig. avv. Luigi Del Vescovo, della diocesi di Alatri.
27 » » Al sig. Gino Bonomi, dell'archidiocesi di Milano.
29 » » Al sig. Aldo Bellotti, della diocesi di Pontremoli.
3 gennaio 1942. Al sig. cav. Giuseppe Odoardi (Roma).
» » » Al sig. Domenico Flagella, della diocesi di Foggia.
5 » » Al sig. cav. Emilio Santucci, dell'archidiocesi di Siena.
12 » » Al sig. Pietro Verni, della diocesi di Rimini.
13 » » Al sig. Luigi Colosso, della diocesi di Ugento.
» » » Al sig. Vincenzo Provenzano, della medesima diocesi.
20 » » Al sig. Angelo Rizzi, dell'archidiocesi di Milano.
22 » » Al sig. Emanuele Dragonetti, dell'archidiocesi di Trani.
24 » » Al sig. Angelo Donini, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Mario Colongo, della diocesi di Biella.
» » » Al sig. Tancredi Colongo, della medesima diocesi.
25 » » Al sig. Giovanni Scarpitti (Roma).
27 » » Al sig. Achille Basso (Roma).
28 » » Al sig. Lorenzo Lenzini (Roma).
30 » » Al sig. Antonino Campanella, della diocesi di Agrigento.
6 febbraio » Al sig. Remo Morandotti, dell'archidiocesi di Modena.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

19 luglio 1941. Al sig. Giuseppe Buglioni, della diocesi di Ferentino.
26 novembre » Al sig. Corrado Peruzzi, della diocesi di Montepulciano.
10 dicembre » Al sig. Amedeo D'Archino (Roma).
» » » Al sig. dott. Pietro Nobili, della diocesi di Novara.
13 » » Al sig. Giulio Cesare Griva, dell'archidiocesi di Torino.
15 » » Al sig. Vincenzo Luparello, dell'archidiocesi di Palermo.
17 » » Al sig. Giovanni Silvestro, della diocesi di Ivrea.
» » » Al sig. Andrea Ponchia, della medesima diocesi.
18 » » Al sig. Vito Montanari, della diocesi di Imola.
» » » Al sig. Michele Rossi, della medesima diocesi.
» » » Al sig. dott. Giovanni Capucci, della medesima diocesi.
22 » » Al sig. Pompeo Tonti, della diocesi di Cesena.
29 » » Al sig. Giacomo Gaglione, della diocesi di Caserta.
3 gennaio 1942. Al sig. ing. Francesco Catanea, della diocesi di Mileto.
» » » Al sig. Amedeo Facchini (Roma).
5 » » Al sig. Lorenzo Faustini (Roma).
» » » Al sig. Giovanni Valdroni (Roma).
7 » » Al sig. Augusto Belli, della diocesi di Tivoli.
19 » » Al sig. rag. Giovanni Duimich, della diocesi di Fiume.
21 » » Al sig. Pietro Greppi, dell'archidiocesi di Vercelli.
22 » » Al sig. Federico Rocchi, della diocesi di Crema.

22 gennaio 1942. Al sig. Vincenzo Brudaglio, dell'archidiocesi di Torino.
24 » » Al sig. Paolo Maria Sirtori, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Arnaldo Ganna, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giovanni Gramondo, della diocesi di Acqui.
12 febbraio » Al sig. Primo Testa, della diocesi di Foligno.

NECROLOGIO

24 dicembre 1941. Monsig. Giuseppe Guiot, Vescovo tit. di Augustopoli di Frigia.
27 » » Monsig. Emanuele Lopez Arana, Vescovo tit. di Curio.
2 gennaio 1942. Monsig. Aldo Laghi, Arcivescovo tit. di Nicea.
12 » » Monsig. Roberto Dobson, Vescovo tit. di Cinopoli di Arcadia.
15 » » Monsig. Stefano Hanauer, Vescovo di Vacia.
17 » » Monsig. Agostino Laera, Vescovo tit. di Traianopoli di Frigia.
24 » » Monsig. Emidio Trenta, Arcivescovo Vescovo di Viterbo e Tuscania e Abbate di San Martino al Monte Cimino.
31 » » Monsig. Patrizio Chiasson, Vescovo di Bathurst nel Canadà.
7 febbraio » Monsig. Patrizio MacKenna, Vescovo di Clogher.
13 » » Monsig. Gabriele Grison, Vescovo tit. di Sagalasso.

DISCORSI DEL SOMMO PONTEFICE PIO XII

Vol. I - Dal 3 marzo 1939 al 5 maggio 1940. Pp. 421 e ritratto di Sua Santità.
Vol. II - Dall'8 maggio 1940 all'8 ottobre 1941. Pp. 440 e ritratto di Sua Santità.

Ciascun volume: Roma L. 20 — Italia L. 21,50 Estero L. 25 —

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
MISSALE ROMANUM. Quinta editio post typicam. In-8° grande. In caratteri neri e rubriche in corsivo (cm. 17×26):			
— In fogli sciolti	36 —	39 —	46 —
— (A) Legato in mezza pelle e tela, fogli rossi, segnacoli	75 —	78 —	85 —
— (B) Idem, id , fogli oro	90 —	93 —	100 —
— (C) Legato in tutta pelle, fogli oro, e segnacoli, impressioni oro sui piani	140 —	145 —	152 —
MISSALE ROMANUM. Editio quarta post typicam. Caratteri rossi e neri (cm. 22×31);			
— In fogli sciolti	85 —	90 —	110 —
— (A) Legato in mezza pelle e tela, fogli rossi	160 —	165 —	185 —
— (B) Legato in mezza pelle e tela, fogli oro	180 —	185 —	205 —
— (C) Legato in tutta pelle, dorature, fogli oro	280 —	285 —	305 —
BREVIARIUM ROMANUM (totum). Quarta editio post typicam (mm. 176×111). In-12°			
— In fogli sciolti	75 —	77 —	82 —
— (A) Legato in pelle, cucitura speciale fortissima, fogli rossi	115 —	117 —	122 —
— (B) Idem, fogli oro	125 —	127 —	132 —
RITUALE ROMANUM. *Editio typica.* In-18° (mm. 125×76):			
— In fogli sciolti	17 —	19 —	20 —
— (A) Legato in tela nera, taglio rosso	25 —	27 —	28 —
— (B) Legato in tela nera, taglio dorato	30 —	32 —	33 —
— (C) Legato in pelle nera, taglio rosso	37 —	39 —	40 —
— (D) Legato in pelle nera, taglio dorato	40 —	42 —	43 —
RITUALE ROMANUM. *Editio I post typicam.* (mm. 156 × 93).			
— In fogli sciolti	25 —	27 —	29 —
— (A) Legato in tela nera, taglio rosso	32 —	34 —	36 —
— (B) Legato in tela nera, taglio dorato	38 —	40 —	42 —
— (C) Legato in pelle nera, taglio rosso	47 —	49 —	51 —
— (D) Legato in pelle nera, taglio dorato	50 —	52 —	54 —
RITUALE PARVUM cum variis benedictionum formulis. Caratteri neri (mm. 120×71). In fogli sciolti	3,50	4 —	4,50
— (A) Legato in tela, taglio rosso	6 —	6,50	7 —
HORAE DIURNAE breviarii romani. Editio secunda post typicam (mm. 135×85):			
— In fogli sciolti	17 —	19 —	20 —
— (A) Legato in tela, fogli rossi	25 —	27 —	28 —
— (B) Legato in tela, fogli dorati	30 —	32 —	33 —
— (C) Legato in pelle, taglio rosso	37 —	39 —	40 —
— (D) Legato in pelle, taglio dorato	40 —	42 —	43 —
INDEX LIBRORUM PROHIBITORUM. Edizione 1940, aggiornata al 31 dicembre 1941.			
— Cartonato	12 —	13 —	14,50
— In tela	17 —	18 —	19,50

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

ANNUARIO PONTIFICIO

PER L'ANNO 1942

Ritratto di S. S. Pio XII - Legatura in tela, titolo in oro.

La serie dei Romani Pontefici - La Gerarchia Cattolica: Pontefice regnante - Collegio dei Cardinali - Patriarcati - Arcivescovati e Vescovati residenziali - Arcivescovati e Vescovati titolari - Abbazie e Prelature Nullius - *Amministrazioni Apostoliche* ad nutum Sanctae Sedis - *Prelati di rito orientale con giurisdizione ordinaria - Vicariati Apostolici - Prefetture Apostoliche - Missioni - Custodia di Terra Santa - Religiosi - La Curia Romana: Sacre Congregazioni - Tribunali - Uffici - Rappresentanze della Santa Sede - Corpo diplomatico presso la Santa Sede - Commissioni permanenti - La Cappella Pontificia - La Famiglia Pontificia - Elemosineria Apostolica - Uffici e amministrazioni Palatine - Ordini equestri - Stato della Città del Vaticano.*

APPENDICE: *Vicariato di Roma - Vicariato della Città del Vaticano - Istituti di studi superiori - Accademie Pontificie - Seminari - Collegi ecclesiastici - Collegi di religiosi - Ospizi - Elenchi alfabetici degli appartenenti alla Cappella e alla Famiglia Pontificia - Dati statistici - Distribuzione geografica delle Sedi residenziali, Vicariati e Prefetture apostoliche, ecc. - Ordini, Congregazioni ed Istituti Religiosi Femminili - Elenco alfabetico dei nomi* de Curia - *Indice delle Protettorie - Dignitari defunti - Indice alfabetico dei nomi delle persone - Indice delle materie - Indice schematico del volume.*

In Italia L. 50 Estero L. 56 franco di porto

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
L'ATTIVITÀ DELLA SANTA SEDE dal 15 dicembre 1940 al 15 dicembre 1941 (Non ufficiale). Tip. Poliglotta Vaticana, 1942. In-12°, pag. 93	5.—	5,50	6,25
Codificazione Canonica Orientale. FONTI. Serie II, fascicolo XXVII. Disciplina antiochena antica. Siri III. Textes concernant les Sacrements, avec introduction par le Chorévêque *Paul Hindo*. Pp. XVI-301	75 —	75 —	81 —
Codificazione Canonica Orientale. FONTI. Serie II, fasc. III. Patriarcatus constantinopolitani acta selecta.	60 —	62 —	65 —
CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38)	12 —	13 —	14,50
— *Linteo contectum*	19 —	20 —	21,50
— **Appendix,** ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8° . . .	2 —	2,50	3 —
ANDRIEU MICHEL. **LE PONTIFICAL ROMAIN AU MOYEN-AGE.** TOME I. **Le Pontifical Romain du XII^e siècle.** 1938. Pp. XX-308 — TOME II. **Le Pontifical Romain de la Curie romaine au XIII^e siècle.** 1940. Pp. IV-588 — TOME III. **Le Pontifical de Guillaume Durand.** 1940. Pp. XX-691 — TOME IV. **Tables alphabétiques.** 1940. Pp. XI-446. I volumi non si vendono separatamente. Prezzo dell'opera completa	600 —	600 —	640 —
DE SACRIS SANCTORUM RELIQUIIS cum peculiari respectu ad lipsanothecas Episcopales et Maiorum Ecclesiarum, auctore FRANCISCO H. FERRETTI, Proton. Apostolico. In-8°, pag. 30	3,50	4 —	4,25
P. LUGANO, Ab. O. S. B. **Le Sacre Stazioni Romane nella Quaresima e l'Ottava di Pasqua.** Note storiche e preci stazionali. Seconda edizione. Pp. 120. In-24°	4,50	5 —	5,50
GASPARRI PETRUS - **CATECHISMUS CATHOLICUS:** In-12°, pp. 488	15 —	16,50	21 —
Linteo contectum	22 —	23,50	28 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722*)